

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis Albertus Joachim. De
Krakevitz, S. S. Th. D. ... in sanctissimo hodierno Pentecostes Festo, Spiritum
Sapientiæ Et Revelationis ex Eph. I. 17. Civibus Academicis ... hortatur monetque**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi, [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003997759>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1721. Pfingsten.

~~A-1256. 118.~~

R. 1721

PROGRAMMA,
QVO
RECTOR ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS JOACHIM.
DE KRAKEVITZ,

S. S. TH. D. & PROF. DUCAL. PRIM. FCTATIS SUA
SENIOR & p. t. DECANUS, CONSISTORII DUCAL;
CONSILIARIUS & ECCLESiarum DISTRICT.
MECKLENBURG. SUPERINTENDENS;

in sanctissimo hodierno

PENTECOSTES
FESTO
SPIRITUM SAPIENTIE
ET
REVELATIONIS

ex Eph. I. 17.

CIVIBUS ACADEMICIS

apprecatur,

utque tanto divino dono se
non indignos exhibeant,
hortatur monetque.

ROSTOCHII, Typis Joh. Wepplingi, SERENISSIMI
PRINCIPIS & ACAD. Typogr.

M. 1256 168



Um , quānam de mate-

riā , in sacratissimo hoc , quod Ec-
clesia Christiana hodiē celebrat , Pen-
tecostes Festo publicē ad Vos , CI-
VES ACADEMICI ÆSTIMATIS-
SIMI ! verba facienda mihi , tam
Rectoralis officii , quam consuetu-

dinis ratione , essēnt , ut vestram pariter atque meam de-
votam & tempori præsentī congruam meditationem ex-
fuscitarem , mecum deliberabam , per opportunē redibat
in memoriam , ante triennium eopie hoc sanctissimo , quod
jam recurrit , tempore me Spiritum gratiæ & precum ex
Zach. XII. 10. religiose contemplandum Programmate
Pentecostali proposuisse . Moxque recordatus , divisi-
ones quidem donorum esse , at eundem tamen Spiritum ;
& divisiones operationum , unum tamen DEum esse , qui
operatur omnia in omnibus , *I. Cor. XII. 4. 6.* non incon-
gruē me facturum existimavi , nec intempestivē , si , quem
Paulus quondam Ephesiis apprecatus , Spiritum Sapien-
tiæ & Revelationis ob oculos , non modo corporis , sed
præcipuē mentis nunc ponerem , ut eodem & nos donare
dignetur , DEum , Patrem illum gloriae , invocans in no-
mine JESU . Audiamus autem ex *Eph. I. 15. 16. 17.* ipsius
Apostoli verba , sribentis : *Ego etiam , postquam audiri ,*
vestram fidem in Domino JESU , & dilectionem , quæ erga o-
mnes Sanctos . Non desino gratias agere pro vobis , & mentio-
nem vestri facere in precibus meis , ut Deus Domini nostri JESU
Christi , Pater glorie , det vobis Spiritum sapientia & revelatio-
nis , in cognitionem Sui . Occasionem hujus voti fuisse vi-
demus , quod certior factus Apostolus fuerat , de fide &
charitate Ephesiorum , duobus illis Christianorum , postu-
*lante mandato divino , *I. Joh. III. 23.* genuinis requisitis :*
quæ propter eisdem & v. i. jam elogium sanctorum & fi-
delium

delium tribuerat. Constat equidem ex Actis Apostolorum à Luca descriptis, Paulum ipsum non modo Ephesum venisse ibique per breve aliquod tempus Evangelium de Christo prædicasse, Cap. XIX. 19. sed & cum alterâ vice illuc venisset, diutius ibi substitisse, ita ut ejus concionibus magna tam Judæorum, quam Græcorum Asiaticorum pars ad Christum converteretur, Cap. XIX. 8. 9. 10. adeoque per triennium Ecclesiæ ibi Christo collectæ fidelis curam gessisse, Cap. XX. 31. Neutquam tamen istas Ephesiorum qualitates sibi tribuit, aut suæ diligentiae laboribusve, probè sciens, se non nisi ministrum esse, per quem credebant, & sicut Dominus dederat ipsi. 1. Cor. 11. 5. Quemadmodum igitur divinum in illis agnoscebat opus, ita tum gratias pro eodem illius datori indefinenter agit, tum & eundem precatur, qvi ceperat in illis opus bonum, ut absolveret usque in diem Jesu Christi, qualia ipsius verba sunt Phil. 1. 6. Datorem doni, qvod Epheſiis appreſcatur, duobus appellat titulis, vocans eum & DEum Domini nostri Jesu Christi, & Patrem gloria. Non inveniunt, qvod qværunt, Anti-Trinitarii in eo, cum dicitur DEus Domini nostri Jesu Christi, qvæſi vera ſic DEitas Filii negetur, aut subordinatio qvædam personarum divinarum inferatur, ſiqvidem ſufficere poterat, qvod Salvator noster statim vocatur Dominus, qvod nomen θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ positum abſolutum qvoddam, ſupereminens, illimitatum ac independens denotat regimen ſive dominium, qvale divinum illud eſt: unde, qvi ſimpliciter ac in eminentiore ſignificatu Dominus eſt, is verus, æternus ſummusqve DEus ſit, oportet. Sed & ipſe Christus, Dominus noster, omniū optimè interpretabitur, qvomodo Pater ſuus DEus dicatur, Joh. XX. 17. ita loquutus: Adcedo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & DEum meum, & DEum vestrum. Non inelegans eſt Flacii in hoc dictum meditatio, Glosſ. in Nov. Test. Eph. I. 17. Dicitur hoc idē,

(2)

quod

quod sicut ille nos exaltando fecit ejusdem Patris secum filios suosque fratres; ita etiam vicissim semet humiliando, servilemque formam accipiendo, eundem nobiscum DEum habuit, seu eidem se se DEo subjecit. Scilicet, Pater est DEus IESU Christi secundum eam naturam, secundum quam in cœlum hic ascensurus erat: jam verò ascendere, descendere, de loco ad locum moveri, neque sunt, neque unquam fiunt divinæ naturæ proprietates, testante *Form. Conc. Epit. Art. IIX. p. 606.* Ideoque DEus Christi est Pater, secundum humanam illius naturam, secundum quam Patre inferior est, quemadmodum ipse dicit *Job. XIV. 28.* *Pater major me es.* Cum autem Dominus nuncupatur Christus, facile quemlibet intelligere puto, Paulum respicere humanam ejus naturam, quatenus in hypostasi Filii DEi subsistit, cuj^o unionis hypostaticæ vi tota plenitudo DEitatis corporaliter in ipso habitat, *Col. II. 9.* eiq^u data est omnis potestas in cœlo & in terrâ, *Matth. XXIIIX. 18.* imò in exaltatione sp̄etata, quâ DEus eam ex mortuis suscitata, sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non tantum in seculo hoc, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedes illius, illumque dedit caput super omnia Ecclesia; prout Apostolus ipse dominium ejus atque regnandi potestatem postea describit hoc ipso *Cap. I. 20, 21, 22.* Quo autem in statu nihilominus Pater est DEUS Domini nostri IESU Christi, siquidem & in illo Filius subjicitur Patri, *I. Cor. XV. 28.* Post istam appellationem Apostolus eundem doni Ephesiis apprecandi datorem vocat Patrem gloriae. Pater est non solum Christi, quoad divinam naturam, per æternam in essentiâ suâ generationem; sed etiam noster, tam in universum omnium, per omnipotentem creationem, quam in specie fidelium, per gratiosam adoptionem. Dicitur verò cum addito: Pater gloria, ut distinguatur à communi Patrum conditione. Nam multi quidem

dem sunt patres, unus tamen duntaxat Pater gloriae: sicuti
multi Reges, sed unus Rex gloriae; multi domini, ast unus Do-
minus gloriae. Vocat autem Apostolus DEum Patrem gloriae,
non tantum quia glorioissimus est, & totus mundus gloria
ipsius plenus. quomodo & dicitur Rex gloriae, Ps. XXIV. 7. 10.
DEus gloriae, Act. VII. 1. Dominus gloriae, I. Cor. II. 8. cui soli
omnis gloria debetur; verum etiam, quia est auctor omnis
gloriae, dum, ut aeternam gloriam suam hominibus manifesta-
vit, eamque in mundo celebrari, vult; ita & omnes res glorio-
ses, sive praestantes ac salutares nobiscum communicat. Non
incongrue Rob. Rollocus, Scotus, Comment. in h. l. heic anno-
tat, titulum hunc esse etum prioris. Nam nisi Deus noster
factus fuisset Christi Deus, dum ille noster frater fieret, assumta
naturae nostrae, profecto nunquam factus fuisset Pater ejus noster Pa-
ter: quae sunt verba illius. A Deo enim dependent, quaecunq;
gloriosa bona nobis obvenire possunt, sive in praesente gratiae,
sive in futuro gloriae Regno, quorum ista ad haec ordinata
sunt. Inter ista verò, si non primarium, certè primum ordine
est Spiritus sapientiae ac revelationis, in cognitionem DEI, quem
Ephesiis Paulus apparetur. Frustrà namq; negatur, gratiam
divinam in salutis nostrae operatione ab illuminatione intelle-
ctus ordiri, tantumque abest ut, emendationem voluntatis ea
priorē esse, ullo idoneo ex Scripturis argumento probari possit,
ut potius contrarium Scriptura testetur ac elequatur tantum
non ubique. Non permittit instituti praesentis ratio, multa,
qua id probant, coacervare dicta, plurium tamen instar
unicus esse potest locus Col. I. 9. 10. II. Propterea etiam nos,
Apostolus scribit, à qua die audivimus, non cessamus pro
vobis orare & petere, ut impleamini cognitione voluntati-
onis ipsius (DEI) in omni sapientia & intelligentia spirituali. Ut
vos ambuletis dignè Domino ad omnem complacentiam, in omni opere
bono fructificantes & crescentes in cognitionem DEI; omni labore
corroborati, juxta robur gloria ipsius, in omnem patientiam & lon-
ganimitatem cum gaudio. Ecquid clarius his dici potest? Et
anne rerum natura ipsa hoc poscit, ut cognitione DEI antea
im.

imbuatur, cui cultus DEo conveniens inspirandus? Non enim cultus DEo placere potest, qvi non provenit ex fide, Ebr. XI. 6. fidem autem sine cognitione DEi & Christi dari, impossibile est, Rom. X. 14. Et qvomodo dignè aestimare aut amare potest, qvem non rectè cognovit? Ideoqve Paulus in omnibus Epistolis intellectum eorum, ad qvos scripsit, de credendis prius informasse deprehenditur, qvam voluntatem instrueret admonitionibus. Cumqve spiritualia eisdem apprecatur bona, vovet ante omnia illis sapientiæ & cognitionis DEi incrementa, manifestissimo argumento, sapientiam & cognitionem DEi primam Christianismi partem omniumqve DEo debitum officiorum fundamentum ac veluti fontem esse. Nec ali- am reputemus causam esse, cur Ephesiis Apostolus Spiritum sapientiæ ac revelationis fuerit apprecatus. Etenim, ψυχή seu animalis homo non percipit ea, qvae sunt Spiritus DEi; stultitia enim illi sunt; & non potest scire, qvam spiritualiter dijudicantur: sicuti scribit I. Cor. II. 14. Sed verò, qvi salvari cupiunt, eorum imbutos esse cognitione oportet, qvemadmodum ipse edixit Salvator noster Joh. XVII. 3. Hac est aeterna vita, ut cognoscant te solum verum DEum, & qvem misisti, Jesum Christum. Qva- propter necessum est, ut Spiritus S. illuminet mentes salvandorum, in cognitionem DEi, qvò scilicet capere possint sa- lutiferam illam de DEo doctrinam, qvam naturaliter non solum ignorant, sed & cujus penitus sunt incapaces. Est ea- quidem illuminatio hæc opus ad extra, indeqve toti S.S.Tri- nitati communis, qvam Pater, per Filium, in Spiritu S. in nobis operatur, huic tamen, ceu tertia DEitatis personæ per appropriationem tribuitur. Unde in Catechismo suo profi- tentur nostri: Credo, me propriis rationis meæ viribus, Jesu Chri- sto Domino meo fidere, aut ad eum accedere, & pervenire, nullo modo posse; Sed Spiritus sanctus per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit, & conservavit: Qvemadmodum solet totam Ecclesiam in terrâ vocare, congregare, illuminare, sanctificare, & in Jesu Christo per veram ac unicam fidem conservare. Hanc tertiam DEitatis personam, cum ce- teroqvin DEus Trinunus spiritus sit, Joh. IV. 24. Apostolum intelli-

intelligere, ex eo patet, qvōd eum & à DEo Patre, & à Do-
mino nostro JEsu Christo distingvit, tanq̄am à datore do-
num. Vocat eum Spiritum sapientia ac revelationis, qvæ
duo nomina idem qvoad rem exprimunt beneficium ac do-
num, isto substantiam illius, hoc dandi & communicandi
modum significante. Neque poterit ex conjunctâ hac appelle-
tione obscurum manere, qvamnam intelligat sapientiam,
qvâ donandi Ephesi sunt. Non hypostaticam illam, qvæ est
Filius DEi; nec æternam illam & infinitam, DEo Patri, Filio
Spirituique S. communem & essentiale, qvæ nil aliud est,
qvam ipse DEus solus sapiens; sed finitam, accidentalem, &
exemplarem, qvæ qvædam est, quantumlibet, juxta I. Cor.
XIII. 12. in hac hujus vitæ imperfectione, debilis & obscura,
imago essentialis sapientiæ in mente divinâ, qvam DEus per
Spiritum suum in nobis operatur & creat. Divina illa arche-
typa, ea verò, qvâ homines donantur, ectypa sapientia est.
Qvæ non intelligitur theoretica, in nudâ cognitione DEi &
Salvatoris nostri Christi consistens, cujusmodi & impiorum
sapientia esse potest, sed practica; qvæ & lensum gratiæ di-
vinæ secum ferat, ut ex v. 18. & 19. patet; & directa sit ad
pietatem, Tit. I. 1. Hancce sapientiam Spiritus S. operatur in fi-
delibus tanq̄am mystici corporis Christi membris, qvemadmo-
dum idem revievit in ipso Capite, Christo, Ef. XI. 2. Nam
Christus eum acceperat, ut ab ipso, ceu Capite, in membra
ipsius totumq̄ue corpus diffunderetur. Ut verò constet, qvâ
ratione Spiritus DEi hanc in nobis sapientiam operetur, voca-
tur item Spiritus revelationis. Revelavit etenim Spiritus S. ver-
bum illud, ex qvo qvicquid de DEo & Christo ad salutem no-
stram cognitu credituq̄ue necessarium est, hauriri debet. 2. Pet.
I. 20. coll. Ef. IIX. 21. adeò ut revelatio, neq̄ve qvoad res, ne-
que qvoad verba, per qvenquam fiat, nisi per Spiritum S. Et,
si quis veritatem noverit, ex revelatione Spiritus S. eam didice-
rit, oporteat. Idq̄ue hodiè non immediatè, sed mediante Verbo,
quod sanctis DEi viris scribendum inspiravit olim, qvod insi-
tâ sibi divinitus virtute illuminandi mentes nostras, natura-
liter cœcas & obtenebratas, pollet, 2. Pet. I. 19. Qvodq̄ue
sufficien-

Sufficientissime nos erudire ac instruere potest ad salutem aeternam, 2. Tim. III, 15. Nam internus ille Spiritus, immediatè agitans in mentibus hominum, quem Fanatici jactant, dudum explosus jam est, suumque ad ortum alegatus. Ubi cunque enim Apostoli mentionem faciunt revelationis, modum revelandi eum intelligere cenlendi sunt, qui tempori vel ante, vel post conclusum Canonem congruus est. Ideoque hodie non nisi mediata, quæ per Scripturam sit, revelatione intelligi potest. Huncce Spiritum sapientie & revelationis, quem Paulus olim Ephesii suis expertus, & ego Vobis, ACADEMICI CIVES AESTUMATISSIMI! ut quo excellentius donum dari non potest, sacratissimo hoc Spiritus S. Festo appreco, Apostolicaque verba mea faciens, DEum Domini regis Christi Jesu Christi, Patrem gloria, supplex veneror deyoteque imploro, ut vobis Spiritum sapientie & revelationis, in cognitionem Sit. Illuminatos oculos mentis vestra, ut vos sciatis, quanam sit spes vocations ipsius, & qua divitiae hereditatis ipsius in Sanctis. Et quæ excellens magnitudo virtutis ipsius erga nos, qui eredimus, iuxta operationem roboris potentia ipsius. Verum enim vero, ut ne nos indignos sanctissimo hoc dono reddamus ipsi, sedulò sanctèque cavendum nobis est. Benè rectissimèq; Coccejus Comment: in Epist. ad Eph. in h.l. §.185, monet: Diligenter curandum est, ut sobrii simus, neque nostras opiniones, quæ nobis aliius planisibiles videntur, substernamus sapientie, quam querimus, quæm conset, hominem esse à sapientia DEi alienissimum. Hoc enim esset cum offendiculo suo in corde & ante oculos posito ad verbum DEi accedere. Quod quum sit, impossibile est, hominem attendere ad verbum DEi, aut id recte percipere & non cogere aut non ex eo vellicato carpere occasionses nectendorum sophismatum. Neque vero doctrinæ solum falsitate, quæ Spiritui sapientie & revelationis in Scripturis loquenti, qui tamen & ipse Spiritus veritatis est, contradicunt, eodem nos indignos facimus, sed vitæ etiam impuritate ac improbitate. Propteræ semper mentibus nostris infixum maneat, omniisque momento recordatur illius, quod Auctor ille Libri Sapientie, nam in hoc apocryphus certe roquo liber & Scripturæ canonicae & sanctitati DEI omnino conformiter loquitur, Cap. I. 4. 5. scribit: In malitiosam animam non ingreditur sapientia, neque habitat in corpore, quod subjectum peccato. Sanctus enim Spiritus discepula fugit dolor, & absit a cogitationibus non intelligentiæ, & arguitur superveniente iniuritate. Quorum igitur observantes si fuerimus, certi poterimus esse, Spiritum sapientie ac revelationis per Verbum suum oculos mentis nostræ illuminaturum esse, ac in omnem ducturum veritatem. Quod ut faxit Deus Domini nostri Jesu Christi, & Pater ille gloriz, conjunctis precibus unanimiter eundem supplices compellemus; DEus, qui hodierno die corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem Spiritu recta sapere & de ejus revelatione ac consolatione semper gaudere, per Christum Dominum nostrum, Amen!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus Academ. prima Pentecostes
Feria d. i. Junii Anno MDCCXXI.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1003997759/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003997759/phys_0011)

DFG

intelligere, ex eo patet, qvōd eum & à DĒo Pat
 mino nostro JEsu Christo distingvit, tanq̄vam
 num. Vocat eum Spiritum *sapiens* ac *revela-*
 duo nomina idem qvoad rem exprimunt benefi-
 num, isto substantiam illius, hoc dandi & con-
 modum significante. Neque poterit ex conjunc-
 tione obscurum manere, qvamnam intelligat
 qvā donandi Ephesi sunt. Non hypostaticam illa
 Filius DĒi; nec æternam illam & infinitam, DĒo
 Spirituique S. communem & essentialem, qvæ n
 qvam ipse DEus solus sapiens; sed finitam, accid-
 exemplarem, qvæ qvædam est, quantumlibet,
 XIII. 12. in hac hujus vitæ imperfectione, debilis
 imago essentialis sapientiæ in mente divinâ, qvæ
 Spiritum suum in nobis operatur & creat. Divin
 typæ, ea verò, qvā homines donantur, ectypæ.
 Qvæ non intelligitur theoretica, in nudâ cognitio
 Salvatoris nostri Christi consistens, cujusmodi
 sapientia esse potest, sed practica, qvæ & sentiun
 vinæ secum ferat, ut ex v. 18. & 19. patet; & di-
 pietatem, Tit. I. 1. Hancce sapientiani Spiritus S. op
 delibus tanq̄vā mystici corporis Christi membris,
 dum idem reqvievit in ipso Capite, Christo, Ef.
 Christus eum acceperat, ut ab ipso, ceu Capite
 ipsius totumq̄ve corpus diffunderetur. Ut verò
 ratione Spiritus DĒi hanc in nobis sapientiam op
 tur item Spiritus *revelationis*. Revelavit etenim Sp
 bum illud, ex qvo qvicqvid de DĒo & Christo ad
 stram cognitu credituq̄ve necessarium est, hauriri
 I. 20. coll. Ef. IIX. 21. adeò ut revelatio, neq̄ve q
 que qvoad verba, per qvenquam fiat, nisi per Spi
 si qvis veritatem noverit, ex revelatione Spiritus S
 rit, oporteat. Idq̄ve hodiè non immediate, sed med
 quod sanctis DĒi viris scribendum inspiravit olim
 tâ sibi divinitus virtute illuminandi mentes nost
 liter cœcas & obtenebratas, pollet, 2. Pet. I. 19.



the scale towards document